

spargi possent suspensiones, ne forte parochus ea quæ reficiendæ fabricæ et augendæ sacræ suppellectili addicenda sunt, in proprios usus convertat, aliove modo ecclesiæ parochialis bona dilapidet, nihil aptum magis ad arcendam hujusmodi odiositatem quam deputari nonnullos civitatis præcipuos cives, qui simul cum parochus de his omnibus deliberent atque decernant. Atque insuper, dum ad solvendum adigendi sunt ii, qui ex aliquo titulo ecclesiæ parochialis debitores sunt, nemo non videt quam expediat id, non a parochus ipso immediate fieri, sed a deputato illo laicorum virorum cœtu."

Hinc Concilium Trid., sess. XXII, cap 9, De Ref., admisit laicos in administratione bonorum Ecclesiæ, modo reddant rationem administrationis Ordinario.

Hinc ad Ecclesiam pertinet determinare normam eligendi matricularios et eorum acta moderare. Cf. Code des curés, M^{re} Desautels, pag. 130 et seq.

736. Quid possint matricularii, attentis legibus civilibus, determinatur statutis et consuetudine. In primo volumine, num. 724, exposuimus quid valeant matricularii; de ceteris confer auctores qui de jure parochiali disseruerunt, præsertim Beandry, "Code des curés, marguilliers et paroissiens;" Mignault, "Le droit paroissial."

737. Bona ad Ecclesiam pertinentia gaudent inviolabilitate et immunitate. Sunt inviolabilia quateus eorum invasio est sacrilegum latrocinium, ut eruitur ex capite *Nulli liceat*, 3, causa 12, quæst. 2, ubi Bonifacius Papa ait: "Nulli liceat ignorare omne quod Domino consecratur, sive homo, sive animal, sive ager, quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum Domino erit, et ad jus pertinebit sacerdotum. Quapropter inexcusabilis erit omnis qui a Domino et Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit, et usque ad emendationem Ecclesiæque satisfactionem, ut sacrilegus judicetur, et si emendare noluerit, excommunicetur."